

et Spiritu, non introibit in regnum caelorum, ex eo, inquam, tempore neminem absque percepto actualiter visibili Sacramento vel ejus vice martyrio ullatenus potuisse salvari, sed, etsi forte quispiam cum vera fide & contritione baptismum expeteret, ac praeventus mortis articulo assequi, quod cuperet, non valeret, tamen omnino damnari. Fueritne Scriptor ille, cujus nomen in Hugonis epistola suppressum fuisse ex Bernardi responsione constat, Petrus Abaelardus, an Johannes Hispalensis Archiepiscopus, an Hugo Farfatus an alius quispiam, illis, quibus hariolari lubet, divinandum relinquimus. Id constat S. Bernardo opinionem anonymi illius Scriptoris, quem novarum & assertionum inventorem, & inventionum assertorem vocat, adeo non placuisse, ut eam in responsoria ad Hugonem Victorinum epistola, quae in postremis Bernardi editionibus inter ejus tractatus relata est, f) pluribus argumentis confutaverit.

f) Tom. 2. opusc. 10.

§. IV.

Quemadmodum autem non defuerunt, qui a tempore nocturni illius & secreti colloquii, quod Christum inter & Nicodemum intercessit, neminem exceptis Martyribus sanguine baptizatis sine aquae baptismo salvatum crediderunt: ita Theodorus Abucaras adhuc longius progressus ob illa ipsa Christi ad Nicodemum verba ne illos quidem, qui ante Christi adventum mortui fuerunt, sine praevio baptismo regnum gloriae ingressos somniavit. Quam sententiam antequam plenius exponamus, de illius autore, & relictis ab eo monumentis pauca praemittemus.

§. V.

Theodorus igitur Abucaras graecus sequioris aevi Scriptor fuit, arabicae etiam linguae peritus, quod ex quarto ejus opusculo elucescit, quippe quo epistola de fide Con-

lii